



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 26. Aduersus Philoponum Deum contendentem intellectum dici
non posse, ad tex. com. 91.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

atque ita totam eam dubitationem tolli. Respon-
 deri autem, eorum duntaxat, quæ sunt sine ma-
 teria, proprium esse, ut idem sunt, quod intelli-
 git & quod intelligitur. Duplexque potest esse ho-
 rum verborum sententia: quarum altera colligatur in-
 tellectu & immaterialia intelligere seipsa; quia cum
 sint sine materia, possunt in seipsa intelligendo
 sese convertere: altera respondeatur obiectioni,
 sola immaterialia simul esse intellectilia, & intel-
 ligentia; quoniam quod intelligens futurum
 est, immateriale esse oportet. Siquidem in-
 tellectio immaterialis actio est, qua res
 cognita, etsi materialis, euadit immaterialis in
 cognoscendum transita: & intellectus substan-
 tia impermixta & inorganica; materia vero infi-
 piens & stolidâ, omnemque intellectionem im-
 pedit & offuscatur. Tantumque abest, ut quod
 materiam habet, intelligens esse queat; ut si
 intelligi debeat, aut separandum sit à materia,
 aut cum intellectu coniungendus sensus vel
 phantasia; materiales scilicet & corporeæ vir-
 tutes. Concedamus igitur id, quod quatenus
 ipsum dicitur, reciprocè dici. At esse intel-
 lectile quatenus ipsum de solis immaterialibus di-
 citur, quæ per se & tota sua natura sunt actu
 & propriè intellectilia: Non de materialibus,
 quæ non quatenus ipsa, sed per formam & quidita-
 tem intellectus nostri opera separatam à mate-
 ria, intellectilia dicuntur; quatenus ipsa verò
 sensilia potius, aut imaginabilia. Sic enim
 in superioribus definitum audiuius. Propterea
 immaterialia sola ita sunt intellectilia, ut intel-
 lectus item sint; non materialia.

Ita dubitatio tota diluitur. Nam quod fortas-
 se obijciat quispiam, nondum haberi intel-
 lectum simplicem esse neque quidquam habens
 commune: Siquidem materialia quoque sunt
 intellectilia. Quare aliquid esse oportet intel-
 lectui & illis commune, quo intellectilia sint ambo;
 & aliquid rursum singulorum proprium, quo
 talia sint, & talia intellectilia, materiale aut
 immateriale. Primum de intelligentijs etiam
 separatimque substantijs proponi posset; quas
 simplices constat & impermixtas esse. De-
 inde illud ipsum diluitur, cum substantiæ illæ
 atque intellectus immateriales esse affirmantur.
 Nam si materiæ communionem & permixtio-
 nem non habeant, alia superest nulla, nisi en-
 tis: qua sanè intellectile est vnumquodque.
 At entis ratio omonyma est, nec nullam præ-
 ter singula naturam significat, quæ cum illis
 compositionem faciat. Intellectus igitur atque
 immaterialia omnia cum nil, quod compositio-
 nem efficiat, aliquamque naturam significet,
 cum illis habeant commune, tum in se simpli-
 cia sunt, tum cum cæteris impermixta. Post-
 remò hoc ipsum sibi volunt illa verba (nam
 in his, quæ sunt sine materia, idem est quod in-
 telligit, & quod intelligitur). Omnem enim ab
 intellectu compositionem & mixtionem exclu-
 dunt nec aliam cum materialibus convenientiam
 relinquunt quam illam, quam dixi.

Hinc vero planè intelligas, intellectum
 nostrum immaterialem & immortalem Aristoteli
 fuisse. Etenim eum aperta oratione sine ma-

teria; & idèò secundum idem & intelle-
 ctum & intellectilem esse; non secus atque
 immateriales cæteras & abstractas substantias,
 tradidit. Quodque maxime obseruabis, de
 intellectu potestate sermo est, qui imperfe-
 ctus & materialis appellari solet. Id ex supe-
 riore contextu manifestè agnosces: in quo eum
 prodidit potestate esse intellectilia omnia, actu
 nullum, prius quam intelligat: velut tabellam,
 in qua nihil est scriptum. Post hæc enim
 statim subiunxit; hunc ipsum intellectum ef-
 se ut intellectilia, quoniam immaterialis est. At
 quoniam in superioribus eum docuit, tunc de-
 mum intelligere seipsum, cum fuerit singu-
 la factus; intellectum potestate intellectilem
 inques esse potestate remota; habitu autem
 constitutum; potestate propinqua; ac demum
 re ipsa & actu seipsum tunc intelligere, cum est
 actu. Atque hoc differt ab intellectibus separatis;
 quòd illi sunt intellectiles semper actu seipso
 intelligentes; nos ter autem interdum potestate,
 interdum actu.

Denique hinc etiam aduersus Alexandrum col-
 ligas intellectum nostrum puram potestatem non
 esse. Si enim per se & essentia propria, ut immate-
 rialia cætera, is quoque intellectilis est; actum
 igitur quempiam & naturam habet, quæ per
 se intelligi possit; tum ab intellectu superio-
 re; tum à seipso; dum in seipsum conuertitur.

*Digressio XXXVI. Aduersus Philoponum Deum
 contententem intellectum dici
 non posse.*

Qua verò religione ductus Philoponus in
 Theoria tex. 9. Deum scripserit Aristote-
 li quidem intellectum fuisse; at id neque Pla-
 toni neque pijs dogmatibus consentire: eumque
 non intellectum, sed supra intellectum esse: &
 idèò *αὐτονοῦς*, hoc est prouidentiam nominatum;
 quòd *αὐτὸν ἴδῃ*, id est ante intellectum sit: mag-
 nopere mirandum est. Et nisi aliam ipse dubi-
 tationis solutionem adferret; existimarem for-
 tasse eum ita negasse Deum intellectum esse,
 quemadmodum Plotinus in libro de substantijs
 cognoscentibus cap. 13. & 14. & complures ve-
 teres Christiani scriptores, ac Dionysius præ-
 fertim Areopagita, illum dixerunt non esse ens,
 non substantiam; sed supra ens, supra substan-
 tia, omnique re, quæ dicatur aut cogitetur, multo
 meliorem; neque omnino posse infinitam à
 nobis eius naturam comprehendi. Cum tamen
 verissimè ac propriissimè vellent & ens
 & substantiam esse; sed meliori modo, quam
 ea, quæ creata sunt. Verùm Aristotelis solu-
 tione reiecta, dum aliam adfert, omnino se vo-
 luisse ostendit, Deum nullo modo nominandum
 intellectum esse. Cur Aristotelis solutione respue-
 ret, duas præterit causas. Primam, quòd Deus in-
 tellectilis quidem est ex se & propriè, nec tamen
 intellectus dici debet. Alteram, quòd vniuersalia ma-
 terialia propriè sunt intellectilia, & non intellectus.

MMMM ij

*li. & im-
 mortali-
 tas.*

*Intelle-
 ctus non
 est pura
 potestas.*

*Intelle-
 ctus non
 est pura
 potestas.*

*Materia
 intelli-
 gionem
 impedit.*

*Intelle-
 ctus im-
 materialis*

Itaque aliter dubitationi respondet: In ea non accipi, intellectum quatenus est intellectus intelligi simpliciter; sed intelligi à seipso. Quæ propositio si conuertenda sit, ita reddetur: Quatenus à seipso intelligitur, est intellectus. Hinc verò non colligi, quidquid est intellectuale, sed quidquid seipsum intelligit, intellectum esse.

Quibus nos multis modis occurrimus. Primum pugnantia loquitur; dum quidquid seipsum intelligit, intellectum esse confirmat, Deumque negat intellectum esse. Quippe is sanè seipsum intelligit: & si tam religiosus velit esse Philoponus, nil aliud, quàm seipsum intelligit, & in seipso omnia. Deinde nequaquam in dubitatione accipiebatur, intellectum intelligi à seipso; sed uniuersè quærebatur, quomodo intellectus sit, an seipso toto; an per aliquid aliud, atque ut materialia per solam formam. Tum verò Platone ac religione turpiter & impie abutitur ad asserendum Deum intellectum non esse. Nam etsi opificem & patrem mundi inuenire difficile; & cum inuenietis, prædicare ac vulgò eloqui, impossibile esse tradiderit in Timæo Plato; quòd nihil sit eorum, quæ ab ipso condita sunt: eum tamen in mundi molitione sempiternum adiecit exemplar sequutum esse. Quod agentis per intellectum proprium est. Præterea eum velut thesaurum ac fontem idearum in Parmenide statuit; supremamque tradidit habere scientiam, ac nostra quoque cognoscere. An non enim, inquit, valde mirabilis hic sermo videbitur, si quis Deum cognitione priuauerit? At quænam cognitio sit, nisi intellectus? Vbi idea, vbi scientia; nisi in intellectu? Plurima id genus in eiusdem Philosophi scriptis passim reperias.

Deum intellectum dicitur à Platone fuisse.

Quod autem attinet ad pia dogmata, impium sanè est quàm quod maxime, amentem Deum atque intelligentia carentem cogitare. Impium cognitione priuare, tum sui ipsius, in qua omnis beatitudo; tum aliorum omnium; vnde & eorum tam varia productio, tam ordinata dispositio, tam sapiens administratio. In sacris porro libris proditum legimus, Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium & intelligentiam. Eoque argumento confirmatum, Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat? Hoc est, qui cæteris vim tribuit cognoscendi & intelligendi, cognitione ipse carebit & intellectu? Deinde futurorum cognitio tanquam certissimum diuinitatis argumentum aliquando fuit allatum: Annunciate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, & scimus quòd Dicitis vos. Ac rursus, Absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet & enunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annunciet eis. Accedit, quòd prouidentia vniuersa, quam & religio docet & ratio certa persuadet, aut intellectus actione consistit tota, ut permultis placet; aut certè sine illa non est. Quàmque certum est in Deo voluntatem & amorem esse; tam indubitatum esse oportet intellectum & intellectionem adesse. Tum quia voluntas & amor intellectum atque intellectionem comitantur, nec sine illis vspiam esse queunt. Tum quia totum illud ad-

Deus in sacris libris intellectus.

Job. cap. 12.

Psal. 93.

Isa. cap. 41. & 44.

”
”
”
”
”
”

mirabile Trinitatis mysterium, quòd certissimum religione in Deo credimus, duabus hisce actionibus continetur & volutatis, intellectus, intellectione & amore. Adde intelligentem esse perfectionem significare, qua Deum non nisi per summam impietatem priuabis. Eamque agentis libero necessariam esse; si quidem libertas et cognitione nascitur. Et omne agens propter aliquem finem agere, aut ab ipso cognitum, aut ab alio cognoscente illi constitutum. Deus autè ut est supremum agens, ita maximè debet ex finis cognitione agere: tum quia hic est nobilissimus agendi modus, tum quia à nullo alio superiore potuit illi præscribi finis. Quia ipse potius cæteris omnibus, vel non cognoscentibus, finem constituit. Quod sanè cognoscentis proprium munus est, atque intelligentis tum finem & ea, quæ sunt ad finem, tum eorum mutuum proportionem & habitudinè. Denique ita rationari licet. Deus immaterialis est, ergo intelligens: immò quia summe & propriissime immaterialis, summe & propriissime intelligens. Hoc qui neget ita habere, vniuersam Aristotelis doctrinam de intellectu natura tam sapienter, tamque necessarij firmatam argumentis euertat oportet. Tota namque hoc nititur fundamento, intellectus naturam immaterialem esse, simplicem & impermixtam. Quòd si intellectus idcirco est intellectus, quia immaterialis, simplex & impermixtus; verè deducitur, quidquid eiusmodi fuerit, intellectum esse, nec præter illud quidquam.

B

C

D

E

Hæc est causa, cur triplex intellectus nuncietur, nec præter eum alius; humanus, angelicus, & diuinus. Quoniam triplex hæc solum est immaterialis & impermixta substantia, nec præter eam alia. Quare quàm necessarium in anima nostra atque in angelis, tam in Deo quoque intellectum esse concluditur. In quibus ut Angelicus humano melior est, sic diuinus infinito intervallo & Angelicum antecedit & humanum. Intellectus tamen omnes sunt intelligentesque natura, homo, angelus, Deus.

Etenim argumento ex voce (*sesma*) sumpto abutitur planè Philoponus. Non enim dicitur quasi supra, sed quasi ante mentem & intellectum: neque (*ses*) significat supra, sed ante. Quæquæ est illud significaret, veritati nihil officeret. Quippe eodem modo diceretur Deus supra intellectum, quo dicitur supra ens & supra substantiam; hoc est melius multo ens, melior substantia, melior intellectus, quam substantia cætera, substantia, & intellectus creati; ens tamen, substantia, & intellectus. Ante autem non tam dignitatem & præstantiam naturæ significat, quàm prioritatem intellectionis comparatione rerum intellectarum. Solutaque diuinus intellectus appellatur *sesma*, non humanus aut Angelicus: quòd is solus res futuras multo ante, quam eueniant, hoc est ab omni æternitate, prævidet. Itaque Latinis quoque scriptoribus prouidere & prouidentia non id significarunt, quod nos dicimus, habere curam: sed idem quod prævidere & præcognoscere: prouidentiamque definirunt esse, per quam futurum aliquid videtur antequàm eueniat. Et de his quidè hæc tenent.

Quòd

Quod autem ad alteram causam attinet, propter quam Philoponus Aristotelis solutionem contempnit, nihil est opus immorari. Nam Aristoteles non est loquutus de proprio & improprio intellectibili, cum intellectibile omnem intellectum fore deduxit: Sed de intellectibili seipso, & non per aliud. Vniuersalia enim materialia etsi proprie sint intellectibilia, intellectus tamen non sunt: quoniam non sunt intellectibilia seipsis, sed quatenus intellectu & cogitatione separantur à materia. Alioqui seipsis materialia sunt & potestate intellectibilia: suntque ab intellectu intellectibilia actu: & idcirco non à seipsis, sed ab alio intellectibilia sunt, dum à materia liberantur. Sola igitur ea, quæ sua natura & seipsis immaterialia existunt, intellectibilia sunt & intellectus: cætera intellectibilia duntaxat; vel etiam vt per se coherent, sensibilia aut imaginabilia. Et ille ipse interpres hoc tandem loco fatetur disciplinas non esse proprie intellectibiles: à nobis tamen intellectibiles appellari, quod à nobis effectæ sint, atque in mentis nostræ agitatione versentur. Quæ autem sunt cum rebus, quæ per illas sciuntur; aut conditionis melioris & cum intellectu magis coniunctæ.

TEXTVS:

Ἡ δὲ θεωρητικὴ ἢ θεωρητικὴ, καὶ τὸ θεωρητικὸν ἴδιον αὐτῆς ἐστίν.

Theoretica enim scientia & id quod scitur, idem est.

COMMENTARIUS XCII.

His verbis priorem sententiam, quam de immaterialibus intellectibus pronuntiauit, tum extendit etiam ad materialia, tum eam argumento à minori confirmat. In ijs, inquam, quæ sunt sine materia, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur. Namque in ijs ipsis, quæ materialia sunt, quatenus ab intellectu cognoscuntur, idem sunt hæc duo. Eadem enim intellectio, qua contemplamur quidpiam, quatenus intelligentis intellectus est actio, id sanè est, quod intelligit; quatenus verò obiecti & intellectæ rei forma, id est, quod intelligitur. Alio item modo à minori argumentum deduxit Priscianus cap. 19. Si scientia, quæ ratiocinatione, progressionem, & multiplicitate quadam constat, idem euadit cum scibili; multò magis idem erunt intellectus, qui simplex est & indiuiduus, & id quod intelligitur.

De theoreticis autem solis scientijs, non item de practicis, loquitur. Quoniam illæ in sola cognitione versantur: quare eadem cognitio potest & intelligens & intellectum esse. Hæ verò, cum ad agendum quidpiam referantur, obiectum spectant externum à se distinctum. Verum si in his ipsis solam accipias cognitionem, quæ agendi principium est, eamque per se consideres; de illis tantumdem poteris affirmare. Et scientiam fortasse theoreticam non proprie nominauit, vt

Intellectio enim intellectus idem.

ab ea, quæ practica est, distinguitur: sed cognitionem quolibet vt cognitio sola est, significare voluit. Vel eam potius, qua intellectus solus absque sensu & phantasia operatur; formaque ipsas & quidditates materialium rerum absolutas à materia contemplatur. Vt eam ab illa priori separaret; qua tota composita materialia cum sensu & phantasia cognosci dixerat.

Quod si in materialibus intellectibus id euenit, dū à materia separatur; multò magis in immaterialibus eueniet, quæ seipsis existit separata. Quodque illis interdū alterius ope ac beneficio accidit, hoc in his perpetuum erit & naturale. Sanctus Thomas de sensu idem credidit affirmari posse.

Immo hunc locum, in quo intelligens & intellectum, scientiam & id quod scitur, idem esse asseritur; respondere planè superiori illi, in quo sensum actu & sensile actu, idem re ipsa esse Philosophus prodidit: fauetque Priscianus loco paulo ante citato. Ego verò neque hoc puto Philosophum agere; sed id quod illius erat institutum; vt intellectum ostenderet seipso intellectibilem esse. Neque iudicat Simplicius proprie dici posse, sensum esse sensibilia. Quoniam etsi is quoque rei sensilis formam sine materia quoquo modo suscipiat, dum sensationem suam, velut illius formam & similitudinem suscipit: eam tamen non intuetur, neque sensibilia cognoscit formam illam in se susceptam cognoscendo: sed foras progreditur, obiecta ipsa realia sensatione sua diiudicando: non enim is in seipsum conuertitur, sed ad alia extenditur. At intellectus intellectibilem formam verè suscipit sine materia: & quamuis dum simul cum sensu & phantasia intelligit, materialem rem in se ipsa agnoscat; cum tamen per se solus operatur, illam ipsam formam, vt obiecti, cuius est forma, repræsentatricem comprehendit, atque ita obiectum ipsum intelligit. Idcirco absentia quæuis, & ea, quæ nusquam in natura subsistunt, intelligit.

Sensibile sensibilia non esse idcirco Simplicio.

Quoniam in seipsum conuersus formas contemplatur suas, in illis naturas ipsas agnoscens, quarum sunt formæ; sicut qui Socratem in imagine videt: illæque ipsæ & obiecta intellectibilia sunt, & materialium obiectorum imagines.

Hæc est illa cognitio, quam eandem esse ait cum eo, quod cognoscitur. Quoniam circa rem cognitam versatur, non vt in se & cum materia coniuncta subsistit; sed vt in se ipsa repræsentatur, atque à materia separata in intellectu continetur. Nam vt ad res ipsas, quemadmodum in se sunt, extendit sese, & eas in propria illarum natura, qua extra ipsum existunt, considerat; manifestum est, aliud intellectum esse, aliud id quod intelligitur. Itaque scientia hoc loco proprie nõ usurpatur: sed aut pro quauis cognitione formæ & quidditatis abstractæ, solius intellectus propria: aut pro intellectu intelligente; scientiamque nominauit, quasi intellectum scientem & actu operantem.

Vt in intellectu & intellectu idem.

Hæc est illa cognitio, quam eandem esse ait cum eo, quod cognoscitur. Quoniam circa rem cognitam versatur, non vt in se & cum materia coniuncta subsistit; sed vt in se ipsa repræsentatur, atque à materia separata in intellectu continetur. Nam vt ad res ipsas, quemadmodum in se sunt, extendit sese, & eas in propria illarum natura, qua extra ipsum existunt, considerat; manifestum est, aliud intellectum esse, aliud id quod intelligitur. Itaque scientia hoc loco proprie nõ usurpatur: sed aut pro quauis cognitione formæ & quidditatis abstractæ, solius intellectus propria: aut pro intellectu intelligente; scientiamque nominauit, quasi intellectum scientem & actu operantem.

Contra intellectus species est.

Digestio XXVII. Quomodo intelligens & intellectum sint idem.

Quod si ita sit, inanes fuerint intellectibiles illarum formæ ab intellectu diuersæ, quæ à per multis cogitatur. Nam si res quæque in ipsius intellectus notionibus intelligatur, hæc;

MMMM ij